PRÆCEPTOR
SIVE QVALEM OPORTEAT ESSE PVERORVM INSTITVTOREM

ORLANDI PESCETTI CARMEN

AD D. AVRELIVM TRANDINVM

Inter Iuriſprudentes eloquentiſſimum, & inter Oratores Iuriſprudentiſſimum.



VERONÆ,
Apud Angelum Tamum. 1599.

IN PRÆCEPTOREM
ORLANDI PESCETTI
Admodum Reuerendi Patris Dionyſij Præsbyteri Regularis.

SI NATVM plorat crudeli funere
merſum
Orba parens, ſaxo condens vitamq́;
decusq́;
Nobilis inſigni gaudet VERONA
poeta,
Nam parat æternam famam natoq́;, patriq́;.
Filius à magno capiet duo munera patre
Progeniem claram, & diuinas Palladis artes;
Gaudebitq́; parens, cari poſt funera nati,
Perpetuum viuens fama ſuper æthera notus.

IN EVNDEM

Tobiæ Sculteti Germani I. C. & Poetæ Lauro coronati.

ORLANDE, *Hetruſcæ non vltima gloria linguæ,*
Sed Latijs idem non minus apte modis:
Ecquid, vbi cernis, per faſq́; nefaſq́;, laboreis
Quos Hominū varia ſuſcipit arte genus;
Tantùm, vt nummorum citiùs cumulentur acerui,
Diues vbi tacitas Arca flagellat opes;
Securum penitùs, quo ſit, Virtusq́; Pudorq́;,
Et propriæ Subolis cura adhibenda, loco;
E quid vbi hæc ſpectas, cum priſcò impunè CRATETE
Exclamas; Qui vos, qui furor, obſecrò, habet?
Vos coaceruandi tenet inſatiabilis ardor,
Nulla autem Prolis ſollicitudo mouet?
Cui tamen iſta relicturi miſeri omnia ſitis,
Mox, vbi Vos Vitæ deſeret vmbra fugax?
Scilicet exclamas; vtq́; hæc intelligat omnis,
Victuris eadem verſibus acer agis;
Qualeis eſſe ſuos Venuſinus Horatius auſit
Iurare, in Satyris dum graue condit opus.
DOCTRINA, *&* *Vita verum monſtrare* MAGISTRVM
Perge; NIHIL *ſtudium eſt, quod probitate caret.*

PRAE-

PRÆCEPTOR

Siue qualem oporteat eſſe puerorum inſtitutorem.

ORLANDI PESCETTI CARMEN

AD D. AVRELIVM PRANDINVM

Inter Iuriſprudentes eloquentiſſimum, & inter Oratores Iuriſprudentiſſimum.

VOs ego, qui patres æterni munere Patris,
Quo ſine nil fœtat, nil prodit lucis in oras,
Eſtis; qui natos varia virtute videre
Conſpicuos cupitis, culmenque attingere honorum,
Compello: huc dociles animos aduertite; quæq;
Præcipio, memori, fidaq; reponite mente:
Nam cui ſint pueri tradendi, vt moribus, atque
Artibus ornentur, queis claro ſanguine cretos
Eſſe decet cultos, doceo; quod vt oppida, & vrbes
Iuſtitia vigeant, & læta pace fruantur,
Stentque diu, quanti interſit, qui neſciat, eſſe
Haud quemquam reor: ipſe quidem cum rege ſophorum
Omnia in hoc pono, neque me ſententia fallit:
Sunt etenim pueri lactentibus, atque tenellis
Perſimiles plantis, quas nullo pænè labore
In quamcunque libet partem deflectit agrorum
Cultor eæ faciles, ceu mollis cera, ſequuntur,
Et nulla illius iuſſis in parte reſiſtunt.

Tu verò, celeres motus cum diuite vena
Cui dedit ingenij rerum natura creatrix,
Heſperiæ decus eximium; cui flumen ab ore
Aureum, & ambroſia decurrit dulcius ipſa,
Quem rigidus iudex, patribus quem plena ſeueris
Curia, quemque graui populus ſtupet ore loquentem;
Tollere qui dictis potes, & mulcere procellas,
Et totas miſcere vrbes, fandoq́ Periclem
Vincere, qui dictus iaculari fulmina lingua;
Et quatere Argolicas, velut oppida machina, mentes;
Tu, cui Calliope numeros æterna canoros
Dictat, ſeu laudes, & fortia facta virorum
Ore canis pleno, teneros ſeu ludis amores,
Deliciæ Phœbi, PRANDINE, *atque huius ocelle*
Vrbis; quando meas dignaris verſibus aures
Sæpè tuis; noſtros luſus audire viciſſim
Ne pigeat, niſi mens cura grauiore tenetur.
Hæc tibi conueniunt, cui præclara indole natos
Eximia peperit forma, virtuteq́ coniux;
Quos, tibi vt efficeres ſimiles, Mauortis ad vrbem
E patriæ amplexu ereptos, caraque parentis
Miſiſti flentes non flens, vbi pectore toto
Ad ſtudia incumbunt, quo ſe maioribus; vnde
Progeniti, dignos præſtent, ipſosq́ parentes
Lætitia ingenti cumulent, nomenq́, decusq́
Amplificent patriæ, extendant & in vltima terræ.
Principio pueros qui ſit ducturus in hortos
Muſarum & ſtudijs informaturus honeſtis,
Præferat ingenuum aſpectum, ſit corpore, ſitque
Vultu ita compoſito, miſtum vt cernatur in illo
Lene graui, pariterque metum, & progignat amorem.

Non

Non ego ſum, tetricos qui commendem, atque ſeueros
Doctores, quorum numquam non riſus ab ore
Exulat, & facies trux quiddam, immaneque ſemper
Spirat, & inceſſus; & verbera verba minantur:
Hos etenim pueri formidant, & color omnis
Ore fugit ſimul ac triſtem ſubiere, trucemque
Conſpectum, & faciem inuiſam: Gymnaſia longè
Hinc eſt quod fugiunt, & frigidus occupat horror
Membra, vbi doctoris nomen peruenit ad aures:
Nec rurſus nimium faciles, nimiumque benignos
Laudo, nam ſubito pueris ludibrio habentur.
Qui ſimul ac aſpernari cœpere magiſtrum,
Protinus omnis eis reuerentia deſerit, omnis
Et pudor, & metus abſcedit, fiuntque proterui,
Et, velut indomiti pulli, præcepta monentum
Detrectant, iuſſisq; pijs parere recuſant,
Quamque libros potius fundas meditantur, & enſes.
Hos mihi tu da, qui facili iunxere ſeuerum,
Sumere quique ſupercilium, frontemque minacem,
Quando opus eſt, ijdemque in tempore ponere norunt.
Hi formidantur pariter, pariterque coluntur:
Ad ſtudia alliciunt blando ſermone, minisq;
A vitijs retrahunt; ſtimulant, & laudis amore
Inflammant ſegnes, & gnauis præmia ponunt.
Poſt hoc ſit probus, & vitiorum pectus ab omni
Labe gerat purum, Diues veneretur, ametque,
Obſeruet leges, tam quæ ſunt æthere ab alto
Demiſſæ quam quas hominum prudentia ſanxit:
Sæpe adeat delubra Deûm, reuerenter & adſit,
Seu ſacra res fiat, Dijs hymni ſiue canantur,
Siue pij reſonent doctoris pulpita voce:

Sæpe ſacerdotis fidas deponat in aures,
Quæ lædunt animam, & vomat exitiabile virus;
Quod tacitum ſerpit, pectusq́ penetrat ad imum,
Paullatimq́ animam perimit, Stygioque Tyranno
Mancipat, æternùm poſt fata ſuprema cremandam.
Sæpe ſacroſanctam comedat cum ſanguine carnem
Verbigenæ, hoſtiles vt fortius indè repellat
Inſultus, omnes Sirenum eludat & artes.
Turpe nihil puero faciat præſente, nihilque
Dicat, quod caſtas poßit penetrare per aures
In cor, & intactam mentis maculare tabellam:
Non minus exemplo, quam verbis ducere tentet
Difficile ad virtutis opus, ſemperque cohortans
Monſtret iter præcedendo, primusq́ faceſſat
Quæ iubet: hac haud eſt hortatio fortior vlla.
Queis vitijs pectus fæcundum, infectaq́ mens eſt;
Quorum eſt obſcænus ſermo, quorum impia lingua
In ſuperos iactat conuicia; qui puerorum
(Ah procul à noſtris auertite, numina, terris
Tam diras hominum peſtes, tam turpia monſtra)
Infando, & penitus fœdo capiuntur amore,
Digni, quos ignes abſumant æthere lapſi,
Deuoret aut pelagus, ſubita tectumuè ruina
Opprimat, aut ſaltem noſtro procul orbe regentes
Trans Scythiam Libyæq́ vltra deſerta relegent,
Sint vbi ſerpentum, rabidorumuè eſca Leonum;
Hos fuge tu, quæſo, ſi te tenet vlla ſalutis
Cura tui nati, ſcopulis ab cautius ipſis
Euita, licet his florens ſit copia fandi,
Doctrina præſtent licet, & ſuperare canendo
Virgilium poßint ipſum, orandoq́ parentem

Ro-

Romani eloquij, & teneant, quæ prouidà cumque
Senſibus a noſtris longè natura remouit;
Et tibi ſit probitas doctrina antiquior omni;
Qua ſine cognitio rerum eſt, velut enſis acutus,
Quo latro immanis, dira vel mente Tyrannus
Incinctus ſit quo nullo diſcrimine ciues
Cædit, & innocuam plebem demittit ad Orcum.
Noſter ſæpe ſibi commiſſos ducat ad ædem,
Cui partu æthereo ſacræ dat Glarea nomen,
Vnde preces veneranda cohors (Theatina vocatur)
Aſsiduè ad ſuperos imo de pectore mittit;
Vel fidei noſtræ feruenti dogmata lingua
Exponit populo, qui orantum pendet ab ore,
Seque domum melior recipit; vel crimina diſcit
Illorum, quos pœnituit læſiſſe potentem
Naturæ auctorem, cælum qui numine torquet:
Hæc ſermone graui puroq; à corde profecto,
Quæ via, demonſtrans, celeſtes ducat ad oras,
Quæ contra Stygij deturbet ad atra Tyranni
Tecta, vbi perpetuò miſeræ cruciantur ab igne
Tartareo ſontes animæ, glacieque rigenti,
Diuino incendit pueros virtutis amore:
Ah tibi ne falſis imponat blanda voluptas
Illecebris, generoſe puer; fallacibus aures
Obſtrue promiſsis (clamat) crudele venenum
Verborum ſub melle latet; tibi quæque videtur
Tam placido vultu, monſtrum eſt, quo fœdius vllum
Non habet, aut crudele magis domus horrida Ditis:
Hæc quos illicibus verbis, atque illice forma
In fraudes traxit pueros, velut impia Circe
In pecudes vertit, vel ceu monſtra illa, Pelorum,

Et ſiculum mare, quæ quondam obſediſſe feruntur,
Demergit pelago, aut ſcopulis illidit acutis,
Mox vorat: humanis hinc oßibus omnia latè
Littora candeſcunt, mæſtis reſonantque querelis,
Quas miſeri manes triſti circum ore profundunt:
Vel, ſi malet, eos templum perducet ad illud,
Marmore candenti ſtructum quod cernitur vrbe
In media, auguſtum, ingens, admirabile, magnum,
Ora quod ad ſe ſe præter conuertit euntum,
Ingentique replet cunctorum corda ſtupore:
Præſtantes vbi doctrina, pietateque Patres
Gnari animos iuuenum regere, & tractare benigno
Sermone, ingenuasque artes, moresque docere,
Seruitio addicti diuino nocte, dieque
Inuigilant ſtudijs, veterumque volumina patrum,
Et natum aßiduè verſant, penitusque repoſtos
Eliciunt ſenſus; diuino numine pleni
Quos de ſuggeſtu culto ſermone deindè
Enarrant populo, qui pronis auribus haurit.
Nunc agè quanta illum, qualique putem eſſe neceſſe
Doctrina inſtructum expediam: Vos mentis acumen
Dirigite huc, meaque attentè perpendite dicta.
Sat tibi ſit, nato quæris quicunque magiſtrum,
Vt Latiam exactè teneat, Graiamque loquelam,
Quæque Oratores ſcripſere, ſacrique poetæ,
Hiſtoricique graues intelligat, atque diſertè
Enarrare ſuis queat auditoribus, & quo
Tramite Parnaßi poßint ſuperare cacumen,
Caſtalijque ſacras accedere fontis ad vndas,
Et quibus ornetur formis oratio, quibusque
Luminibus diſtinguatur, monſtrare, quibusque

In-

Incorrupta velut præſtanti corpore virgo
Veſtibus, & gemmis decoretur: Denique Thuſcam
Nouerit & linguam, Latios vt reddere poſſit
Hetruſcis verbis auctores, & themata ore
Dictare Hetruſco, & ſenſus expromere mentis:
Hunc tu ſi ſapies, mihi parebisque monenti,
Longè præpones illi, qui limina ſanctæ
Intrarit ſophiæ, naturæ ſitque latenteis
Scrutatus cauſas, ortusque, obitusque, viasque
Nouerit aſtrorum, cœlo quæcunque refulgent,
Fixerit atque oculos, mentemque in viſcera terræ:
Hi namque aſſueti Diuorum accumbere menſis
Ad viles epulas haud ſe demittere poſſunt
Grammatice pueris, humili quas extruit arte.
Qui ſe, doctrinamque ſuam, methodumq; docendi
Verbis extollunt phaleratis, & tribus annis,
Et breuiore etiam ſpatio ſe poſſe Latini
Tradere ſermonis leges, & Græcia quicquid
De bene dicendi ſcriptum ratione reliquit
Et Latium, haud minus ore potens quam pectore, & armis,
Promittunt, hos tu nebulones, & balatrones
Declina, aut ride plenis mendacia buccis
Spirantes: nummis malunt vacuare crumenam,
Quam diſciplinis ex te replere creatos:
Namque niſi afflatur nobis doctrina ſupernè,
Aut eſt diuino prorſus quis, munere Diuûm,
Præditus ingenio, nemo niſi tempore longo,
Aſsiduoq; poteſt ſublimem ſcandere collem
Doctrinæ ſtudio; nam vero verius eſt, quod
Aſcræus cecinit vates, ſudore parandam
Virtutem poſuiſſe Deos, multoq; labore.

Sed

Sed qui ſit dignè doctor, meritoq́ vocandus,
Non ſatis eſt, mores præclaros tradat, & artes;
Illa quoque edoceat, quæ ſunt facienda volenti
Sidereas ſedes, ſuperasq́ reuertere ad arces,
Hoc eſt, quæ fieri omnipotens mandatq́, vetatq́.
Nunc ſupereſt, pauca vt de ſedulitate, fideq́
Dicamus, quibus abſque puto nil cætera, quamuis
Emineant ſummè, ſummè ſint rara, valere.
Ni vigilans fuerit puerorum doctor, & ante
Exortum ſolis, vel cum caput exerit vndis,
Mollibus è ſtratis ſurget, puerosq́ docendo
Cœperit exercere, & ab illis ſegnia pellet
Ocia, queis peſtis nulla eſt damnoſior illis:
Ni modo laudando, modo caſtigando, metumq́
Incutiendo minis, nunc intentando flagellum
Præmia nunc proponendo, nunc munera dando,
Vsque fatigabit, ſtimulisq́ impellet acutis:
Ni quibus vtantur, commercia quæq́ frequentent,
Quæ loca, quoſuè colant luſus, quo tempora pacto
Traducant, indagabit, vitaq́ peractæ,
Dum caruere ſchola, rationem ſæpe repoſcet;
Ni pueros exire ſuo ſibi turpe putabit
E ludo indoctos, contrà laudabile ſanctis
Moribus excultos animum, linguamq́ latino
Eloquio; niſi erit de laudibus anxius, & de
Illorum vtilitate, ſuamq́ putabit agi rem,
Et ni gaudebit verè, verèque dolebit,
Si vel proficient, facient nullumuè profectum:
Nique magis feſtinabit præcepta beatè
Viuendi inſtillare animis, legesque latinæ
Linguæ, quam in loculos nummum demittere, poſt hoc

Se-

Securus, diſcatne puer, diſcedat an expers
Doctrinæ, & nihilo melior, quam venit ad illum:
Aßiduè ni aſſiſtet eis, & cuncta dicabit
Huic ſtudio ſtudia, & curas adduxerit omnes,
Cætera poſtponens, ſeu ſint ciuilia, ſeu rus
Siue forum, ſiue illa domeſtica commoda ſpectent.
Illi tu, me auctore, tuos excellere natos
Si cupies, numquam commiſeris inſtituendos.
At arcum quoniam non ſemper tendit Apollo,
Sed cithara interdum, iucundo & carmine mentem
Demulcet; poſtquam dederint perfecta, magiſter
Quæ ſibi mandarit, det eis, vt feſſa labore
Pectora ludo aliquo releuent, animumq; relaxent,
Quo vegeti magis, atque alacres mox reddere poßint
Se ſtudijs: ludo at curet recreentur honeſto,
Sique poteſt fieri, ſemper ludentibus adſit,
Ne quod eis luſus inter fors excidat ore,
Quod minimè deceat, dictum: Saltare, pilaq;
Ludere permittat, lucta, curſuq; trochoq;,
Et globulis, quos per ferrum iactare rotundum,
Defixum in terram quod circumuoluitur ictum,
Mos proprius pueris eſt Veronenſibus, ante,
Subdita quam foret hæc alijs Vrbs ampla, repertus.
Alea ſed præceps procul abſit; ſæpe malorum
Ingentum quæ cauſſa fuit, domuumq; ruinæ,
Et clades vnde exiſtunt, cædesq; cruentæ:
Impia non rarò nam iurgia ſuſcitat, ex quo
Igneſcunt animi, atque in mutua vulnera cæci
Procurrunt minimas ob cauſſas, & iacet alter
Sanguine in alterius crudeli pectora ferro
Traiectus, rabieq; vomens animam ore malignam.

Et

Et ne quid videar prætermiſiſſe, quod eſſe
Poſſet ad hoc adiumento, te quærere nato
Doctorem iubeo, cuius robuſta ſit ætas,
Sitque ſenectutem inter, florentemq́ iuuentam;
Et nimium iuuenes, capulo nimiumque propinquos
Effugere; illis nam deeſt experientia, & vſus,
Quo ſine non puto poſſe hoc rectè munus obiri,
Effœta his languent moribundo in corpore vires,
Nec poſſunt durum inſtituendi ferre laborem.
Talibus, ò patres, veſtros committite natos,
Et cunctis aucti virtutibus inde redibunt,
Et quos priſca viros, ætas quoque noſtra videbit.
Sed cum mi venit in mentem, quam parua parentes
Cura hodie teneat, nati vt virtute coruſcent,
Quam nil ſolliciti ſint de doctore legendo,
In quo deberent omnes contendere neruos,
Quando hinc non modo priua ſalus, ſed publica pendet,
Haud lacrimas cohibere queo, cogorque ſubindè,
Quo premor hinc, crebro gemitu monſtrare dolorem.
Ergonè mortales adeo furioſus habendi
Dementauit amor, nummique inſana cupido,
Arentes ſtipulas, frondes, plumasq́ volucres
Colligere vt fructo certent, atque alite omiſſo?
Prateritisq́ legant viliſſima ſaxa lapillis?
Diuitiæ quid ſunt aliud, quid cætera, fallax
Quæ donat fortuna, quibus tantoque labore,
Et ſtudio inuigilant cumulandis, quæq́ per hoſtes,
Ac per ſaxa petunt homines, per fasq́, nefasq́,
Quam paleæ, plumæq́ leues, quas qualibet aura
Diſpergit, celeriq́ rapit per inane rotatu?
Quid ſunt, inquam, aliud, quam ſaxa grauiſſima, quorum

Pon-